



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XIX. (a) Idem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

Cardin. lite coram se legitime contestatâ, quoniam idem R. habebat in bonis quondam Peponis patris sui tertiam partem debitam jure naturæ, in qua (f) gravari nequivit, nec non quartam Trebellianicam, quam quilibet extraneus restitutione gravatus deducere potuisset, propter quod in rebus prædictis avunculis legatis portiones eandem habuit R. præfatus, easque potuit in ultima voluntate legare, ac per hoc legatum tenuit usque ad tertiam, & quartam præfatas, licet ipsas non expresserit in legando, pronuntiavit (non obstante præmissio arbitrio, quod ne hoc legatum teneret, non poterat impedire,) judicem ipsum in eo, quod super hoc dictum patrum in totum absolvit, qui confessus est se pro medietate possidere prædicta, perpetam judicasse, condemnavitque ipsum ad restitutionem medietatis tertiar, & quartæ partis ipsius legati pro rata, quæ dictos avunculos de ipso contingit, & in residuo præfati judicis sententiam confirmavit. Cæterum in eo, quod idem judex dictum patrum, & ejus filios totaliter in aliis, quæ in secundo articulo petita fuerant, condemnarat, malè ipsum pronuntiasse decrevit, quia filii ejus contra voluntatem testatoris non inveniuntur aliquid commississe, cum nihil de petitis reperi fuerint possidere. Verum in portione, quam patruus habebat in bonis eisdem, in quibus ejus institutio, & legatio, ac adjectio pœnæ tenebat pro rata eosdem avunculos contingente, de prædicto legato confirmavit sententiam judicis supradicti, eodem patrum & ejus filios in residuo absolutis, & salvo nihilominus ei ex jure institutionis beneficio legis Falcidiae in restitutione præfati legati, si intra tempus legitimum voluntati paruerit testatoris, cum inventarium fecerit, & contra voluntatem testatoris lex Falcidia inducatur. Nos itaque ipsius Cardinalis sententiam ratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus.

## NOTÆ.

(a) *Idem.* Gregorius videlicet IX. cui tamen rescribat, non constat. Famofam, celebremque esse præsentem Decretalem dixerunt Glossa, & Lantancus hic, Carballo in solemnî commentario ad hunc textum.

(b) *Absque filiis.* Cujus conditionis effectus exposui in cap. in præsentia, de probationibus.

(c) *In res.* Juxta adducta in cap. 1. cap. uno, de arbitrio.

(d) *Urbevenat.* Urbeventum, sive Urbs Verus, est civitas Italiæ, quæ in temporalibus, & spi-

ritualibus subest Romanæ Ecclesiæ, ut refert Ughel. tom. 1. Italia sacra, fol. 382. Unde in præfenti casu etsi negotium merè temporale esset, & disceptaretur à judice sæculari, communitatis Urbevenat. appellatum fuit ad Romanum Pontificem tanquam ad immediatum superiorem.

(e) *Sancti Nicolai.* Titulus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Diaconalis est, ut refert Cohel. in notit. Cardin. cap. 6.

(f) *Gravari.* Juxta tradita in textu antecedenti, ex cujus paraphrasi præfens commentarium petendum est, post uberores relectiones Covaruvia, & Carballi.

## CAPUT XIX.

(a) Idem.

Joannes (b) clericus, & P. laicus executores ultimæ voluntatis O. clerici S. Crucis, qui venerabilibus, & piis locis de bonis suis in ultima voluntate legavit, mandans insuper satisfieri creditoribus per eosdem, post mandatum susceptum per Diocesanum cogi debent explere ultimam voluntatem.

## NOTÆ.

(a) *Idem.* Gregorius videlicet IX. cui tamen rescribat, seu de quo diocæsano Episcopo loquatur, non constat.

(b) *Joannes Clericus.* An clerici possint testamento nominari executores ultimæ voluntatis,

sive ad præstationem legati, ut in l. 107. ff. de legat. 1. dationem, ut in l. 9. ff. de aliment. legat. sive distributionem, ut in l. quidam 96. §. 5. ff. de legat. 1. l. 7. ff. si cui plus quam per legem; seu ad nudum ministerium, ut in l. 17. ff. de legat. 2. exposui in cap. nos 3. hoc tit. ex quo commentario præfens petendum est.